

**Dissertatio medica inauguralis, de epilepsia ... / eruditorum examini subjcit  
Edvardus Richardson.**

**Contributors**

Richardson, Edward, active 1758.

**Publication/Creation**

Edinburgi : Hamilton, Balfour, & Neill, 1758.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/gkbpjy6>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

EPILEPSIA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

*Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri*

D. JOANNIS GOWDIE,

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI,

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,*

*Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

EDVARDUS RICHARDSON, A. M.

Ad diem 19 Septembris, hora locoque solitis.

*Και γαρ τῶν περί το σῶμα νοσημάτων, τὰ μετὰ ἀναισθη-  
σίας χείρονα. PLUTARCH.*

EDINBURGI:

Apud HAMILTON, BALFOUR, & NEILL,

ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.

M,DCC,LVIII.



DISSERTATIO MEDICA  
IN ACADEMIA  
EPILEPSIA



Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

EPILEPSIA.

I. **E**X variis malis quorum atrocitate torquetur genus humanum, palmam, forte, praeripit dirus feroxque iste morbus *Epilepsia* dictus. Morbus hicce crudelis a majoribus nostris adeo horrendus habebatur, ut magnificiis titulis divini, magni, Herculei, et sacri, illum auxerint: quam flebilis quoque Poëtis apparuit, ex lugubri isto cantu LUCRETII patebit.

*Quin etiam subito vi morbi saepe coactus  
Ante oculos aliquis nostros, ut fulminis ictu  
Concidit, et spumas agit, ingemit, et tremat artus,  
Desipit, extentat nervos, torquetur, anhelat:  
Inconstanter et in jaetando membra fatigat.*



Divinus nuncupatur, vel quia correptos ab eo coelo tactos, imo et malum ab ipso JOVE demissum credebatur; sive quod saepius acumen ingenii humani omnino effugiat, et opem praesentem summi Numinis requirat. Magnus et Herculeus audit, sive quod HERCULES eo laborasse credebatur, sive potius ob vim suam arte humanâ minime debellandam. Sacer denique dicitur, vel quod a tali epitheto celebretur ejus potestas, uti de auro cecinit VIRGILIUS :

————— *Quid non mortalia pectora cogis,*  
*Auri sacra fames?* —————

aut potius, quod mentem, nobilissimam ac sacerri-  
mam hominis partem, afficiat. Multis quoque aliis  
nominibus insignitur; morbi, scil. comitialis, ca-  
duci, puerilis, lunatici, &c. at, his disquisitionibus  
omissis, ad phaenomena quibus adesse cognoscitur,  
progrediamur.

2. EPILEPSIA απο τῆ ἐπιλαμβανεσθαι denominatur,  
quod mentem sensumque pariter et supernas partes  
apprehendat. Ab hoc morbo correptus, sensibus  
internis et externis amissis, clamosa vociferatione  
subito corrui, violentis simul concussionibus et  
contractionibus, unâ cum reciproco involuntario



motu aut omnium aut aliquorum musculorum, alterna requie et novo insultu, simul tentatur; circumagitur nonnunquam subito pro variis musculorum contractionibus, dum paroxysmus adest, currere, ambulare, aut recto corpore stare, nequit; facies contorquetur; ex ore spuma effluit; dentibus stridet; oculi celeriter in orbem volvuntur, quorum pars candida solum comparet; semen et excrementa saepius invite exprimuntur; vitales quoque actiones vehementer turbantur; sub initium enim pulsus est celer ac parvus; at sub finem paroxysmi major ac tardior evadit. Post aliquod temporis spatium symptomata se remittere incipiunt, aeger quietior fit, ac quasi sopitur, quo in statu aliquamdiu manet, ac tandem, velut ab alto somno experrectus, capitis dolore, lassitudine, et torpore vexatus, ad se redit: omnium quae tempore paroxysmi acciderant prorsus oblitus, solita quoque valetudine, donec novus insultus redeat, perfruitur; quo tempore haec phaenomena se denuo produnt; itaque morbus in multos annos durare potest, donec Apoplexia forsitan, quod haud raro fit, aegrum misellum ad inferos rapiat.



3. **POST** remissionem unius paroxyfmi, figna alterum praenunciantia haec funt: Somnus turbatus et inordinatus, capitis dolor et vertigo, proclivitas ad iram, animi dejectio, fpirandi difficultas, torpor, lassitudo, et foliti operis faftidium; alii odore molefto ac fapore ingrato vexantur; aliis ignis fcintillae et varii colores oculis quafi obvolitant, quo tempore infultus faepe accedit. Multa alia et varia fymptomata funt quae paroxyfmi adventum praedicunt: Attamen in peffima fpecie faepius corripitur aeger abfque ullo praemonente figno.

4. **PUERI**, praecipue inter dentiendum, juvenes five viri adulti, faepius quam fenes, hoc morbo corripuntur; infantes gravius quam pueros adultos, aut provectos aetate, invadit, praefertim cum vires eorum infirmae et languidae impetui morbi hujus atrocis magis impares fint; viros faepius quam mulieres occupat. Omnibus anni tempeftatibus graffatur, at vere imprimis.

5. **CAUSAE** fingulares unde Epilepfia in fingularibus aegrotis oritur, aegre admodum, imo vix omnino, determinari poffunt. Divisionem in Idiopathicas et Sympathicas, ut fimpliciffimam et quae maxime naturae accommodata videtur, fequar.

Quoties



Quoties causae in cerebro latent, Epilepsia Idiopathica vocatur; quum vero causae quovis vitio reliquarum corporis partium orientur, et in caput, ob consensum et sympathiam partium, propagentur, Epilepsia Sympathica nuncupatur.

6. EPILEPSIAE Idiopathicae causae sunt osseae sive cartilaginosae excrementiae intra cranium, encephali mala conformatio, vulnera, contusiones, seu sanies, sanguis et lymphæ coacervata, atque in ventriculis stagnantia, pus sive materia acris meningas corrodens, ex ossis carie, sive ulceribus veneris nata, inflammatio sive cerebri et tegumentorum ejus sphacelatio, sinuum et venarum distensio praeternaturalis, sive eorum mutatio in indolem cartilaginosa, obstructions quoque venarum jugularium, sive sinuum durae matris, praecipue falciformis, sanguine viscoso seu concretionibus polyposis ortae; quorum tria exempla clarissimus HOFFMANNUS memorat (a). Multa quoque alia id genus cernere licet, passim in BONETI Sepulchreto Anatomico. Ad hanc speciem pertinent et ea quae haereditaria est, et ea quae violentiore aliqua commotione, sive metu matris inter gestandum, ortum ducit.

## 7. QUOMODO

(a) Vid. Hoff. oper. tom. iii. cap. 1. de Epilep. §. 16.



7. QUOMODO hae causae hunc morbum generant nequaquam hic referre libet; satis enim constat, turbas maximas oriri necesse esse, cerebro adeo insigniter laeso, ut in exemplis supra memoratis videre licet, aliis substantiam ejus teneram et perquam sensibilem comprimentibus, pungentibus, et irritantibus; aliis autem erodentibus et exedentibus, dum aliae cavitates ejus contra naturam distendunt, unde ordinem et aequabilem distributionem fluidi nervosi, caeterorumque encephali humorum, magnopere turbari, ac proinde mala dirissima sequi necesse est.

8. CEREBRUM autem similiter affici posse doloribus excruciantibus, spasmis, seu quibusdam aliis causis, nervis caeterarum corporis partium capite remotis nocentibus, atque illuc pro mutuo eorum consensu propagatis, ex observatis certis ac satis confirmatis constat. Haec vero Epilepsiae species Sympathica dicitur, cujus causae sunt vel contractiones, sive irritationes spasmodicae violentiores, humoribus acerbis, acidis, aut lumbricis in ventriculo sive intestinis aultorum aut puerorum hospitantibus, natae; hi enim, partes illas irritantes sive rodentes, malum gignunt (b). Nonnullos aetate pro-

vectiores

(b) Bonet. Sepul. Anat. tom. i. pag. 331. Forest. lib. 10. obs. 65.



vectiores Epilepsia correptos, lapillis renis pelve (c) ureteribus seu vesicae collo haerentibus, compertum est, quam morbi speciem, distinctionis gratia, Epilepsiam Nephriticam, istam a lumbricis natam, Verminosam, HOFFMANNUS nominari vult (d). Doloribus quoque saevis ad os ventriculi (*cardialgia* vulgo dicta) producitur; nec mirandum est epilepticas convulsiones irritationem partis hujus sequi, quum ventriculus sensu adeo insigni praeditus sit, ac cum reliquo corpore adeo consentiat, ut HELMONTIUS eum esse sedem Archaei sui contenderet; unde ratio pateat quomodo medicamenta varia venenosa ventriculi nervos moleste afficiendo, et per consensum eorum cerebrum et totum systema nervosum, hunc morbum arcessunt (e). Professor noster sagacissimus D. WHYTT, se exemplum vidisse hujus morbi natum a scirrhositate intestinorum pueri cujusdam Epilepsia necati, mihi refert; cadavere autem inciso, nihil repertum cui malum assignari potuit, nisi quod colon ad latitudinem duarum palmarum prorsus scirrhosum factum esset. Pueri saepe ob dentitionem difficilem, ut et delicati ob dentitionem

(c) Vid. La Motte *Traité comp. de Chirurg.* tom. ii. p. 416.

(d) Hoff. *oper.* tom. iii. cap. 1. § 18. de Epileps.

(e) Vid. Wepfer. de *cicut. aquat. hist. et nox.* p. 5, &c.



tium dolores, Epilepsia tentantur; hoc autem in casu morbus nervorum irritatione gingivarum et dentium nascitur. Satis quoque constat ulcera vetera exsiccata, sive evacuationes periodicas cohibitas, in utroque sexu, haemorrhoidas, scil. in viris, menses in mulieribus, hunc morbum produxisse: Hinc HIPPOCRATES ait, “ Qui statis temporibus  
 “ sanguinem fundunt, siticulosi, difficiles, exsoluti,  
 “ si non fuderint sanguinem, Epileptici moriuntur  
 “ (f).” Seminisque in utero corruptio, sive secundarum retentio, morbum procreat (g); osse denique aspero sesamoideo, ceu duro tumore cartilagineo, extremitatum nervos prementibus et irritantibus, nasci vidimus, quo radicitus evulso, morbus sanatus fuit (h). In hac Epilepsiarum specie rarum illud phaenomenon saepe accidit, aura scil. frigida a partibus capite longe distitis, ascendens, donec sensim illuc pervenerit, quo temporis momento aeger vehementer convellitur. GALENUS, loquens de puero epileptico tredecem annos nato, hanc auram ita describit: “ Audivi igitur tum narrante  
 “ puero

(f) Prorrheticor. lib. 1. p. 793. chart. tom. viii. et Coacer. praenot. No. 345. ibid. p. 871.

(g) Guillielm. Fabric. cent. iii. obs. 60.

(h) Medical Essays, vol. iv. art. 28.



“ puero dispositionem ipsam ex tibia initium ca-  
 “ pere, mox illinc recta ascendere per femur, et  
 “ superposita ipsi ilia, ac per latera ad cervicem,  
 “ donec ad caput perveniret, quod cum primum  
 “ tangeret, ipsum haud quaquam sibi constare.  
 “ Interrogantibus autem medicis, quale esset id,  
 “ quod ferebatur ad caput, nihil habuit puer quod  
 “ responderet. Alius deinde adolescens compos  
 “ mentis, quippe qui poterat et sentire quod fiebat,  
 “ et alteri narrare, dicebat, veluti frigidam quan-  
 “ dam auram esse id, quod ascendebat (i).”

9. SUB his duabus classibus, causas supra recen-  
 sitas recte satis comprehendi posse, arbitror; nec  
 in rem fore duxi in Epilepsias symptomáticas et  
 sympathicas, subtiliter et sine ulla necessitate, di-  
 stinguere, quod HOFFMANNUS alique fecerunt; sed  
 bona venia illius magni viri, satis perplexe, ac mi-  
 nus, ut mihi videtur, accurate: Ipsum vero au-  
 diamus: “ Tum plurimum sanguineas excretionés,  
 “ quae viris per haemorrhoidas, in feminis per  
 “ menses, fiunt; aut parcióres, aut nimias, huic  
 “ diro malo viam stravisse, innumerae auctórum  
 “ observaciones, quotidiana experientia attestantur.

B

Qualis

(i) Galen. lib. iii. de loc. affect. cap. 7.



“ Qualis Epilepsia recte vocatur symptomatice,  
 “ ferosa, hypochondriaca, vel cachectica (*k*).” Cau-  
 “ fas sequentes, sub specie sympathica, recenset.  
 “ Non minus puerperis ex vitio uteri, aut mensi-  
 “ um vel lochiorum retentione, vehementes pri-  
 “ mum partium vicinarum ac intestinorum spasmi,  
 “ tum ipsa Epilepsia accedere observatur, quae hic  
 “ audit hysterica (*l*).” Sed quid opus est distin-  
 ctionibus adeo subtilibus? Annon causae hujus  
 morbi, sub vocabulis generalibus, quibus usi sumus,  
 contineri possunt, sine ullo periculo erroris in inve-  
 stigandis ejus causis, in prognosi instituenda, aut  
 medendi methodo? Sin vero res ita se habeat, nomi-  
 num multiplicatio nulli usui inserviet, cujus incom-  
 modum omnibus arte medendi vel mediocriter im-  
 butis, fatis cognitum. Annon igitur harum cau-  
 sarum, prior aequae ac posterior Sympathica dici  
 posset, cum plane constet effectus in morbo gignendo,  
 consensu et sympathia partium affectarum, cum sen-  
 sorio communi, pendere oportere?

10. QUUM hae quae haecenus memoratae sunt  
 Epilepsiae, quatenus Idiopathicae et Sympathicae  
 causae

(*k*) Hoff. oper. tom. iii. cap. 1. § 16. de Epilep.

(*l*) Ibid. § 18.



causae praedisponentes sint, paucas jam causarum procatarticarum enumerabo, quae quomodocunque accidentes, eas quas supra diximus, ad agendum et paroxysmum suscitandum impellere possunt. Quamquam vero diversissimae et numero pene infinitae sint, attamen eas quae saepius occurrunt breviter referre sat erit. Ad hanc causarum classem pertinent, cibi condimentis referti nimia copia devorati, vina, et liquores spirituosi, medicamenta venenosa et acria, contagia, sive aëre sive morbis contagiosis, morbillis, scil. seu variolis, &c. proveniant; quae stimulo acri et insolito in sanguinem inducto, et cor, et vasculosa ac nervosa systemata violenter irritant; unde convulsiones graves arcessuntur, quo id quod ei nocebat, aut prorsus eliminaretur, aut in ea loca ubi minus offendere posset, reciperetur: Unde GALENUS recte ait, “Comitialem  
 “ morbum fieri, nervorum principio seipsum qua-  
 “ tiente, ut quae noxia sunt excutiat (*m*).” Huc etiam pertinent exempla infantium, qui hoc morbo correpti fuerint, dum ubera nutricum iratarum sugabant. Tempestatum mutationes, et sidera coelestia, plurimum in corpora nostra valere, imo et  
 morbum

(*m*) Comment. in lib. Hipp. tom. 8. p. 515.



morbum producere, de quo nunc agitur, nemo in dubium revocabit. Prae aliis vero lunae renovationes, quas plus posse in fluidum nervosum quam in sanguinem vel quodvis aliud fluidum corporis animalis, doctissimus MEAD ostendere conatus est; cum enim hoc fluidum, ut ille ait, partibus permixtis et elasticis constet, vi causae cujuscvis externae ut facilius pellantur necesse erit; lunae itaque influxus, morbos praecipue spirituum depravatione ortos respicient: Hujus autem classis, nulli morbis epilepticis digniores notatu videntur (n). Huc quoque spectant omnes subiti terrores, ut metus, spectra horribilia, animique affectus violentiores, quae non solum vires suas in mentem validissime exerunt, sed in corpus etiam plurimum possunt: His enim sanguinis circuitus et humorum plurimum augeri, et per vasa continentia velociter moveri; imo et motus ingentes in systemate animali suscitari possunt, quae non solum oeconomiam machinae totius, sed organum illud imprimis, Encephalon dictum, afficient, quo vitae functiones tantopere pendent; imo haec causarum classis tantum ad Epilepticos insultus inducendos valet, ut multi sine ulla causa singulari praec-

(n) Vid. Mead de imper. sol. et lun. cap. 2,



praedisponente in corporibus (si nervorum texturam exquisitiorem excipias), simul atque alios Epilepticos concidere conspexerint, ipsi iisdem convulsionibus corripiti comperti sint (o) : Nimius quoque Veneris usus hunc morbum, in eos praecipue qui ei antea obnoxii fuerant, induxisse cognoscitur ; ideoque veteres forsan orgasmum venereum Epilepsiae parvae compararunt, scil. τὴν συννοσίαν εἶναι μικρὰν ἐπιληψίαν. Plethoram denique Epilepsiam generasse observatum est : Nec mirum videbitur si nobiscum reputemus, plethoricorum vasis sanguineis nimio sanguine turgescens, cerebri vasa sanguinem rubrum deferentia, distendi quoque oportere ; at cranii cavitas adeo concinne Encephalo repletur, imo et ossa adeo firmiter coarctantur in adultis, ut cedere nequeant ; sanguineis igitur vasis nimis refarctis, caeteris humores tenuiores deferentibus, diametros diminui et comprimi oportebit. Unde cerebri functiones turbabuntur ; et si forte excrescentiae cartilaginosaе seu processus asperi et ossei intra cranium fuerint, contra quos cerebrum tenerum impellitur, convulsiones atroces necessario sequentur ;

(o) Bagliv. Prax. Med. lib. i. cap. 14. sect. 2. Kaau Boerhaave impetum faciens, p. 355.



fequentur ; imo plethoricum Epilepsia necatum novimus, ubi nullae causae tales visibiles, saltem intra cranium, comparuerunt (*p*).

### RATIO SYMPTOMATUM.

HISCE praemissis, Epilepsiae causa et sedes fusius tractanda veniunt ; quarum priorem vitium quoddam cerebri esse omnes uno ore consentiunt ; quo autem hoc vitium pendet, aut quomodo producitur, inter auctores nondum convenit ; aliis aliam originem pro lubitu, aut quo melius hypothesis aliqua defendatur, assignantibus : His autem praetermissis, pauca, quam clarissime potero, dicere conabor ; sin vero vires defecerint, rem arduam apud aequos iudices veniam mihi conciliaturam, haud despero.

12. PHAENOMENA Epilepsiam comitantia, originem ejus, ex turbato et praeternaturali motu et circuitu humorum per vasa cerebri, ducendam, indicare videntur ; quoties enim sanguis cerebri vasa libere permeat, ac proinde fluidum nervosum rite per nervos fecernitur et distribuitur, omnes  
functiones

(*p*) Bonet. sepul. anat. lib. i. sect. 12. tom. 1. p. 294.



functiones animales debito modo peraguntur: E contrario vero, in omni capitis perturbatione violentiore, ubi sensatio et motus voluntarius magno-pere laeduntur, ut in Epilepsia manifeste accidit, circuitum sanguinis et spirituum per caput nequaquam libere, naturaliter, et sine ullo impedimento perfici, recte concludere licet. Cum vero quaevis è causis praedisponentibus jam memoratis intra cerebrum lateant, atque hae forte commoveantur occasionali aliqua causa, volumen et velocitatem sanguinis augente, qua nimia ejus copia ad caput defertur, cerebri vasa vehementer distendi, ac latera ejus impingi et irritari, corporibus istis praeternaturalibus intra substantiam ejus latentibus, necesse est; cerebrum igitur non solum comprimetur et irritabitur, sed et liber regressus sanguinis ad cor impiedietur, qui hîc magna copia collectus, inordinatum et inaequalem influxum spirituum animalium in nervos procreabit, unde vires sensitivae et motrices mirum in modum perturbatae erunt; hinc colligere licet quare nervi sensui subservientes adeo comprimantur ut influxus nervosi fluidi in eos omnino fere impiediat; unde fit, ut sensus omnes, et interni et externi, in Epilepsia



lepsia absoluta, prorsus aboleantur: E contrario vero, influxus subtilis et perquam mobilis fluidi nervosi, in partes motui inservientes, celerior, fortior, ac violentior, quamvis minus regularis, redditur; ac hinc illa dira phaenomena in paroxysmo, distortionem, scil. horribiles, contractiones, concussionem, membrorum et musculorum agitationes, &c. Porro nemo ignorat non solum ventriculo, sed et caeteris omnibus visceribus, ingentem consensum et sympathiam cum capite esse; his enim causis quibuscunque adventitiis turbatis, caput plerumque afficitur, ac dolorem participat: Quomodo autem hoc accidit facile erit intellectu, si consideremus nonnullos nervos capitis, ramos suos quoque, ad viscera praecipua et partes nervosas muneribus horum organorum subservientes, mittere; his igitur moleste affectis et irritatis, spasms, doloribus cruciantibus, lumbricis, sive acris et stimulantibus medicamentis, &c. nervosum fluidum in ramos istos impetu majori fluet; unde hae partes sub paroxysmo in consensum trahuntur, atque commotionum praeternaturalium et vehementiorum participes fiunt; hinc respiratio fit suspiriosa et cum stertore stipatur, cor palpitatur, pulsus celer et inaequalis



æqualis evadit ; faliva ex ore movetur ; aeger obmutescit ; borborygmique et murmura in intestinis sentiuntur ; nec haec evenire mirandum est, cum satis constet opium ventriculo, seu intestinis, paucis horae momentis applicatum, non solum nervorum, sed et totius systematis vires delere, adeo ut prorsus inutiles reddantur.

13. QUAMQUAM ex supra dictis, ratio satis constet Epilepsiarum quae intervallis minus regularibus, causisque fortuitis, accedunt, sive quae lunae reparationes sequuntur ; tamen in Epilepsis quae eadem hora, sive quotidie, sive bis de die, sive alternis diebus, neutiquam sufficit ; hîc enim vix effingere possumus ullam sanguinis rarefactionem, aut causam generalem accidere adeo constanter, ut paroxysmum, definito tempore, producat.

14. ANNON in talibus casibus morbosam aliquam materiam, cerebro seu nervorum origini inhaerentem, conjicere licet, quae post certas horas seu dies insultum quo materia cerebro excernitur, efficere valeat ? nullus itaque novus paroxysmus eveniet, donec fomitis aliquid novi supervenerit, qui simile tempus ac prius postulat. Vel anne obstructioni alicui in quibusdam vasis cerebri tribuatur, quae



certum tempus postulet priusquam vasa illa adeo distendantur, ut irritatio necessaria ad paroxysmum suscitandum, producat, qui violentia sua obstructionem tollit? nullus itaque novus insultus accedit, donec vasa iterum distendantur. Vel an spasmus nervorum originem afficienti tribuenda? Huic fidem faciunt stricta temperantia aegri in omnibus nonnaturalibus durante intervallo; et cadaverum inspectio ubi saepe nihil insolitum in cerebro inveniendum fit.

### P R O G N O S I S.

15. MORBI hujus prognosis fere semper infausta, plus tamen minusve, pro varietate causarum quibus nascebatur. Idiopathicam igitur ut et haereditariam, difficillima curatu, quamquam remedia aptissima et efficacissima adhibeantur; imo plerumque insanabilia omnes auctores observant, praesertim si aeger nullo signo insultus appropinquantis antecedente corripiatur; aut si nulla obvia causa quae ansam praebere potuit, accesserit; unde HIPPOCRATES, de morbi hujus prognosi loquens, “Epilepticos  
“ illos



“ illos difficillime curari,” ait, “ quibus factus  
 “ fuerit morbus nullam significationem praebens,  
 “ ex qua corporis parte initium sumat (q).” Hoc  
 liquido patebit, si consideremus quam parum auxilii  
 Medicus Epileptico afferre posset, cui exostoses  
 prominentes in cranio essent, sive ichor, cruor,  
 sanies, &c. in cavitatibus cerebri congesta; sin  
 vero Epilepsia generis sympathici fuerit, curatio  
 neutiquam desperanda est; hinc enim major erit  
 opportunitas inveniendi et abigendi causas; hoc  
 autem facto, effectus necessario cessabunt; quando  
 igitur vitio primarum viarum oritur, lumbricis,  
 scil. substantiis acribus et venenosis, aut aliquo su-  
 premas corporis partes laedente, malo regimine,  
 &c. aegerque est tenerrimae aetatis, morbus haud  
 inveteratus, nec paroxysmi longi, tunc curationem  
 sperare licet. HIPPOCRATES observat, “ Epilep-  
 “ siam accidentem ante pubertatem, saepius circa  
 “ illam periodum curari; sin vero minus, ad finem  
 “ vitae saepe perdurat; at si ultra annum vigesi-  
 “ mum persistet, raro sanari (r).” Et in Aphorif.  
 28. sect. 3. ait, “ Quae vero pueris permanferint,  
 “ neque

(q) Praedict. lib. 2. cap. 7. Chart. lib. 8. p. 816. Cels.  
 lib. 2. cap. 8. p. 72.

(r) Aphor. 7. sect. 5.



“ neque solutae fuerint circa pubertatem ; aut fe-  
 “ minis circa menstruorum eruptiones, perseverare  
 “ solent ; saepe evenit Epilepsiam sanari, aliquo alio  
 “ morbo superveniente, scil. febre quartana (s).”

Anne hic suspicari licet, morbum a materia mor-  
 bosa cerebro adhaerescente, ac febre quartana ab-  
 lata, ortum duxisse ? Paroxysmus frequentior so-  
 lito signum malum ; sic enim functiones animales  
 adeo laeduntur, ut memoria et iudicium omnino  
 imminuantur ; imo et aegrotus hebes ac stupidus  
 redditur. Malum item signum, si Epilepsia, caeci-  
 tate, stultitia, seu oblivione terminetur ; observa-  
 tur quoque funestum et lethale esse, quando in pa-  
 ralyfi finit, aut in apoplexiam degenerat.

## INDICATIONES CURATORIAE.

16. DUAE indicationes in hoc morbo curando  
 sponte se offerunt ; quarum altera causas internas  
 oppugnat, ac quamquam difficillime investigantur,  
 attamen si fieri potest, inveniendae atque expel-  
 lendae sunt ; at hoc semper fieri nequit, quando,  
 scil,

(s) Hipp. Aphorism. sect. 5. Aphor. 70.



scil. morbi ortus a causa aliqua intra cranium latente pendet. Altera autem indicatio monet, ut omni cura caveamus, ne paroxysmus causa aliqua procatarctica arcessatur; si aeger, scil. quoties lautius vivit, ac cibo et potui nimis indulget, insultus saepius redire observet; aut si se nimia exercitatione, et animi affectibus violentioribus, &c. affici comperiat; tunc aeger diligentissime monendus est, ut ista vitia corrigat, neque sibi in iis indulgeat, quae causam praedisponentem suscitare possunt.

### METHODUS MEDENDI.

17. Ex dictis, de causis variis quae hunc morbum generare possunt, fatis constat, quam vanum esset, curationem ejus singulari aliquo remedio tentare, aut generalem medendi methodum statuere, quam pro causis morbum creantibus variari necesse est; hoc enim solum observatione diligenti eorum, quae singulis obveniunt qui morbo vexantur, cognosci potest. Quando ergo cerebrum est sedes morbi orti a tuberibus, acri lymphæ, sanguine, sive quibusvis aliis humoribus, in cavitatibus ejus hospitantibus; sive ubi Epilepsia nativo aliquo vitio



tio cerebri, five laesione integumentorum et substantiae ejus, seu labe haereditaria, exoritur. In his omnibus casibus, medicamenta parum prodesse diximus; attamen ex supra observatis patet, omnes has causas sic cerebrum afficientes, quavis causa fortuita majorem influxum humorum in cerebrum creante, excitari et augeri posse. Omnia igitur, quae revulsionem et derivationem humorum, ab hac parte producent, et ad resolvendos et expellendos istos liquores intra cavitatem cranii collectos, conferent, usui erunt. Huic scopo inserviunt venaesectio, vesicatoria, alvi ductiones, fonticuli et setacea, &c. Varia exempla sunt hunc morbum curari a fonticulis, in vertice apertis perpetuo servatis. Acutissimus ille vir, noster celeberrimus Professor Anatomes, Doctor MONRO, historias duarum mulierum insignes memorat, quas fonticulo perpetuo in illa parte se curasse refert. In altera quarum paroxysmi adeo frequentes erant, ut bis in septimana redierint; qui quando fonticulus pus emittebat, minus frequentes facti fuerunt; solummodo semel in septimana, semel in duabus septimanis, aut semel in mense, recurrentes; et ita gradatim insultus omnino abiverunt. Altera historia de generosa quadam



dam erat, hoc morbo vexata; cui in eadem parte fonticulum instituit, a quo paroxysmorum insultibus liberata, se curari putabat, et ita fonticulum disiccari permisit; paulo vero post, morbus, solita sua vehementia, redibat; attamen elicio iterum aperto, et pus ejicere incipiente, paroxysmis omnino liberata fuit. Ex supra dictis patet, fonticulos perpetuos hac in parte, quoties alia remedia minus prospere cedunt, semper tentandos esse. Quamvis enim curatio radicalis ab his minime expectanda sit, evacuationes tamen vasa exinanientes, quaeque humores a capite revellunt, quo minus cerebrum sanguine, diminuta ejus quantitate et impetu, opprimatur quodammodo impedire poterunt; unde contra compressionem et irritationem, quas causas proximas Epilepsiae Idiopathicae esse, supra ostendere conati sumus, imo et contra recursiones frequentes paroxysmorum cavebitur. Quin etiam BONETUS varia exempla memoriae prodidit, ubi venaesectio sola morbum sanavit (1). SEVERINUS quoque affirmat, se arteriotomiam in arteria temporali feliciter tentasse (2); ad quod certe confugiendum

(1) Bonet. Sepul. Anat. tom. i. lib. 1. sect. 12. p. 286.

(2) Efficac. Medic. part. ii. p. 46. 47.



giendum est, si venaesectio minus prospere cesserit. Celeberrimus porro MEAD Epilepticam puellam, ope vesicatoriorum, alvi ductionum, et setaceorum, cui paroxyfmi sub plenilunium regulariter accesserunt, hisce horrendis symptomatibus, liberasse refert ; ait quoque, morbum periodos suas ad aestum maris constanter composuisse ; quoties enim aestus ab alto se incitavisset, mutam semper jacuisse, minuate autem, levatam fuisse (w). Oportet igitur evacuationes hujus generis fieri, quoties aegrotans corripitur ullis ex praecedentibus symptomatibus, quae paroxyfmi adventum praenunciant. Si contusiones seu cranii fracturae, sive offea fragmenta, meningas et substantiam ipsius cerebri pungentia, morbum adducant ; tunc terebratio necessaria est, et eadem methodus medendi instituenda erit, ac in similibus cranii morbis. Si cerebri meningas ex carie ossium lue venerea nata, corrosae fuerint, curandi methodus eadem est, ac in illo morbo ; si vero suspicio sit malum finuum durae matris obstructione oriri, hinc haud alienum erit jugulares venas externas aperire, quo sanguini in cavitatibus stagnanti, cursus et motus liberior sit ; utile quoque

(w) Vid. Mead. de imper. solis et lunae. cap. 2.



que cucurbitulas, unà cum scarificationibus cervici, et partibus capiti contiguas, applicare; dummodo largior copia sanguinis in venis sit, isque prius ad partes inferiores venaesectione trahatur. Calvariae exustionem feliciter cessasse, nonnulli observarunt, quamdiu pars materiam ejicere perstabat. WILLI-SIUS (x) memorat, puellam Epilepsia correptam, circa annos pubertatis, in ignem, inter paroxysmum, casu incidisse; adusta autem facie et fronte, malo immunem fuisse, dum pars adusta pus et saniem emittere perstabat. Et CELSUS recte notat, “ Quod  
 “ ad medicinam vero pertinet, ultimum est, juxta  
 “ talum, ex utroque crure paulum sanguinis mit-  
 “ tere, occipitium incidere, et cucurbitulas ad-  
 “ movere, ferro candente in occipitio quoque et  
 “ infra, qua summa vertebra cum capite com-  
 “ mittitur, adurere duobus locis, ut per ea perni-  
 “ ciosus humor evadat. Quibus si finitum ma-  
 “ lum non fuerit, prope est, ut perpetuum sit (y).”  
 Si Epilepsia a materia aliqua morbosa in cerebro la-  
 tente, quaeque expelli debet, oriatur, ut res se  
 habuisse in puella supra memorata videtur: Nam

D

simul

(x) Pathol. cereb. cap. 3. p. 39.

(y) Cels. lib. iii. cap. 23. p. 174.



ſimul atque in ignem incidiffet, materia qua data porta ruebat, unde infultu libera evaſit. In tali rerum ſtatu, excretiones ſuppreſſae, ſi cognoſcantur, menſes, ſcil. vel haemorrhoides, promoveri debent; ſi minus cognitae fuerint, evacuationibus, ſcil. ſternutamentis, alvi dejectionibus, veſicatoriis, fonticulis, ſetaceis, &c. tollere conandum eſt. Pulv. aſari, ſeu quodvis ſternutamentum validum, plurimum prodeſſe, videtur, imo aequae forſan ac ulla alia evacuatio, praefertim cum materiam a vafis cerebro proximis derivet.

18. Nunc de curatione alterius ſpeciei morbi, quae ab aliquo partes capite remotiores laedente, naſcitur, pauca dicenda ſunt. Ac primo, Si humoribus acerbis et aciditatibus in ventriculo et inteſtinis latentibus, oriatur, aut vomitibus aut dejectionibus expellenda ſunt; deinde idonea abſorbentia danda ſunt, cujus generis magnesia alba eſt remedium neutiquam ſpernendum, quum non tantum egregium abſorbens ſit, ſed et purgans lenis ac mite, quoties acidis in primis viis occurrit; ob quam cauſam omnibus fere aliis hujus claſſis anteponi debet. Clyſteres emollientes, quibus ſapo Venet. diſſolvitur, prout res poſcit, injiciendi ſunt;



hi enim cruditates intestinorum, ex lacte coagulato natas, efficaciter dissolvunt; postea amarae portiones, chalybeata et cortex administrari possunt; atque hîc celebre illud remedium oleum, scil. animale, apud Medicos tantopere laudatum, forsitan tentandum esset; nam cum tot cohabitationes subeat, blanda sua naturâ, ad omnem acrimoniam obtundendam, imprimis idoneum est, vasa quoque exilia subtilitate sua simul penetrat, imo et anodynus lenis instar, somnum levem conciliando, agere videtur, ac proinde hoc in morbo utile esse oportet. Quando morbus lumbricis excitatur, tunc ad eadem medicamenta, quae contra eos in aliis casibus usurpantur, confugiendum est. Anthelmintica et purgantia lenia, quorum praecipua sunt pulvis stanni, quo solo Epilepsiam sanatam fuisse observatum est, Mercurius dulcis, Æthiops mineralis, et radix quoque Valerianae silvest. quae in morbis spasmodicis plurimum valet, imo et insigni usui fuisse multis morbo hoc laborantibus, quoties lumbricis ortus sit, experientia compertum est, cujus constanti usu corpore eliminati fuerunt (z). Inter alia remedia HOFFMANNUS (a) camphoram, in Epilepsis

(z) Mem. Acad. des scien. l'ann. 1706, mem. 430.

(a) Vid. Hoff. oper. cap. 1. p. 15. de Epilep.



fiis a lumbricis natis, commendat ; haec quoque dosibus amplioribus adhibita ab aliis laudatur. Si Epilepsia oriatur dolore cruciante, five calculo in ductibus urinariis haerente, seu ventriculi gravibus affectibus, seu intestinorum indurationibus praeternaturalibus, tunc curatio ab hisce instituenda est quae partes laxabunt ac causas nocentes abigent ; hujus generis sunt oleosi clysteres anodynii, linimenta lubricantia anodyna, et fomenta, partibus externis juxta quas dolor sentitur, applicata ; opiata, diuretica, et venaesectio, hinc quoque utilia sunt. Quando Epilepsia in infantibus dentitione nascitur, tunc curationem, gingivas molliendo, refrigerando et sedando, mollibus et glutinosis medicamentis, venaesectio, vesicatoriis, et incisione gingivarum, aggredi debemus. BOERHAAVIUS etiam refert convulsiones dentitione natas parvis dosibus spiritus cornu-cervi feliciter sanari (b) ; quo in casu a vero haud abhorret, eas praecipue ab humoribus acidis in ventriculo, ortum ducere. Quando morbus nascitur materiae alicujus obstructione quae evacuari solebat, exsiccatione, scil. ulceris veteris, five fluxu aliquo periodico, in alterutro sexu, occluso :

(b) Vid. Boerh. Aphor. Aphor. 1378.



cluso : Cum hîc pateat morbum ortum ex sup-  
 4 preffione nonnullorum humorum, five sanorum five  
 morbidorum, qui corpore expelli debuerunt ; cura-  
 tio itaque postulat, ut excretiones quarum sup-  
 preffione morbus accessit, si cognitae sint, restitu-  
 antur, sin vero ignorantur, variis evacuationibus  
 compensandae sunt, fonticulis, scil. fetaceis, hiru-  
 dinibus, vesicatoriis, venaesectionibus, medica-  
 mentis menses provocantibus, et haemorrhoidas  
 aperientibus. Si os sesamoideum, seu tuber quodvis  
 nervi ramo amplo incumbens, in causa fuerit, ex-  
 trahendum est ; sin vero minus, morbus quovis ex  
 vitio rerum nonnaturalium ad redeundum proclivis  
 erit. Quando ab aura frigida provenit, tunc metho-  
 dus medendi bifariam instituenda ; primo, arctâ par-  
 tis ligaturâ ; secundo, totum systema nervosum fir-  
 mius et minus sensibile reddendo, ne facile levi ir-  
 ritatione afficiatur ; satis constat enim homines in-  
 firmi et laxi corporis habitus, caeteris paribus, huic  
 morbo, quacunque ex causa fortiter sensus afficiente,  
 magis obnoxios esse ; unde Epilepsia infantes, et  
 delicatos, atque infirmos, frequentius corripit ; ea  
 itaque quae habitum corporis firmabunt, et nervo-  
 si systematis sensibilitatem minuent, maximo usui  
 erunt,



erunt, scil. exercitatio modica, equo seu vehiculo, unà cum cortice Peruv. chalybeatis, aliisque medicamentis corroborantibus, ac regimine nutriente. Materiae latenti exitus parandus est, sive incisis partibus, sive vesicatoriis, (quibus repetitis D. WHYTT se Epilepsiam hujus generis sanasse refert). Ulcus quoque parti ope causticorum induci debet, quod aliquamdiu medicamentis suppurantibus cum corrosivis commixtis, apertum tenendum est.

19. PAUCA nunc de causis procatarctis dicenda restant, quae utut variae et numero pene infinitae, generalia quaedam monita tantum postulare videntur. Quamquam enim saepius nequaquam penes medicum peritissimum sit causas Epilepsiae praedisponentes penitus eradicare; attamen a causis occasionalibus quae cum praedisponentibus conjunctae paroxysmum renovant, cavere potest; ac proinde haud abs re alienum fuerit perpendere, quo habitu corporis aeger sit; imo et causas unde malum initium cepit investigare, quaque parte corporis signa paroxysmi appropinquantis se ostenderunt; deinde symptomata omnia, ac quo ordine singula, ab initio ad finem paroxysmi, sibi mutuo successerunt; imo utrum adhibita tempore insultus aegrotò



aegrotis profuerunt nec ne, accurate observentur. Notetur etiam, quo tempore anni paroxysmi creberrimi atque atrocissimi sint; utrum sub plenilunium an novilunium accidunt. Si res igitur ita se habeat, quae supra memorata sunt, pro variis morbi causis, ac aegroti habitu, fieri debent. Evacuatio- nes quoque solitae haemorrhoidum, mensium, sudoris, &c. minime negligendae sunt, nam, ab iis suppressis malum saepius oriri, prius ostendere conati sumus, ut inde judicemus quid boni malive aegro accreverit. Denique praecipua cura adhibenda est, ne quid in rebus nonnaturalibus peccetur; animus aegri gratis semper colloquiis, caeterisque blandimentis, oblectandus est. Victus ratio pro morbi causis, et corporis habitudine, accommodanda est; quibus diligenter observatis, paroxysmorum reditus non tantum minus frequentes reddere poterimus, sed et medendi methodus saepius nobis monstrabitur; si enim noverimus aegrotum esse corporis habitus delicatioris, animique nimis irritabilis, et morbum quoque subito aliquo affectu ortum esse; tunc curationem moliri oportet animum afficiendo objectis ab iis diversis a quibus antea perturbari solebat. KAAU narrat multos Epilepticos,



ticos, avunculo suo magno BOERHAAVIO, hoc modo curatos fuisse ; quoniam autem historia imprimis memoratu digna videtur, hinc igitur inferere visum est : “ In domo, qua pauperes ex eleemosynis publice aluntur, in civitate Harlemensi, perterrita puella incidit in morbum nervorum convulsivum, certis paroxysmis reducem : Adstantium et adjuvantium in eam intenta itidem corripitur eodem morbo, postridie altera, deinde tertia, quarta, imo fere omnes, tam pueri quam puellae : Status miserrimus ! corripitur hic, corripitur illa, imo fere omnes eodem tempore, dum alter aspicit, prosternuntur. Medici solertes frustra adhibent quae dictat ars, saluberrima Ant-Epileptica medicamina. Confugitur tandem ad BOERHAAVIUM, qui, misertus infelicis pauperum fortis, petiit Harlemum, et dum rem examinat, invadente in paroxysmo, vidit convelli plures specie Epilepsiae. Datis incassum optimis remediis medicis sapientibus, et ad imaginationem ex uno in alterum traducto morbo, rite perpen-  
 sis, hanc avertendo, credidit posse curam obtineri, et obtinuit. Scilicet, praemonitis Ephor-  
 ris, praesentibus omnibus, jussit per cameram dis-  
 “ poni



“ sponi fornaces portatiles, prunis ardentibus in-  
 “ structas, atque iis imponi ferreos hamulos, ad  
 “ certam figuram adaptatos ; tum ita mandavit,  
 “ quia omnia frustra forent, sese aliud nescire reme-  
 “ dium, quam ut qui primus, puer foret vel pu-  
 “ ella, infausto morbi paroxysmo arriperetur, locus  
 “ quidam nudati brachii candente ferro ad os us-  
 “ que inureretur ; utque gravitate pollebat dicendi,  
 “ perterriti omnes ad crudele remedium, dum in-  
 “ stare sentiunt paroxysmum, omni mentis inten-  
 “ tione, et metu dolorificae inustionis, eidem re-  
 “ sistunt fortioris oblatione ideae (c).” Idem Auctor  
 plurima exempla, praeter supra memorata, addit,  
 ubi morbus animo, ad objecta majori vi attrahen-  
 tia, converso, curabatur ; terrore, scil. epidemica,  
 seu febre quartana, ptyalismo, matrimonio, et ver-  
 beribus (d).

20. NUNC quomodo aeger tempore paroxysmi  
 tractandus est, breviter dicemus. Primo pulvinaria  
 subjicienda sunt, ne caput et membra in humum il-  
 lidat ; caput nonnihil erigatur, glycyrrhizae viridis  
 seu ligni mollioris frustum dentibus molaribus in-

E terponatur,

(c) Kaau Boerh. impetum faciens, p. 335.

(d) Vid. loc. citat.



terponatur, ne linguam mordeat et vulneret; haec enim suberi, quamquam vulgo praescribitur, anteponenda; artus convulsi, nulla vi adhibita, leniter extendendi sunt; leviter quoque fricari, ac oleo ungi, debent; eadem quoque positione retinendi, nec ita fortiter astringendi sunt, ut non illis nonnihil cedatur; periculum enim est, ne nervorum et muscutorum fibrae multum convulsae, divellantur. Paroxysmo persistente, PISO aegrum sequenti modo tractari vult: “ Exacerbatione adhuc perseverante, glans  
 “ immittatur ex agarico, sale gemmae, hiera, et  
 “ despumato melle; clysteribus quoque acribus  
 “ utendum.” At recte notat, “ Quamquam magis  
 “ conferunt ipsis revocatis. Nam in ipsa accessi-  
 “ one materia a cerebro averti debet, modis omni-  
 “ bus; sive affectio propria erit, sive per consen-  
 “ sum (e).” Haec observatio neutiquam inepta est; nam cujuscunque speciei Epilepsia sit, materiam a cerebro revellere, ne functiones ejus turbentur, semper moliendum est. Nihil nimis acre, volatile, et stimulans, sternutationem provocans, dum paroxysmus adest, naribus supponi debet; hoc enim tempore facies turgescit et livescit; oculi tumidi

et

(e) Nicol. Piso de cognos. et curand. morb. vol. i. p. 133.



et rubri sunt ; unde liquet venas et arterias capitis nimio sanguine distendi ; periculum itaque est, ne vasa subito concussa inter sternutandum, rumpantur ; uti olim recte observavit CAELIUS AURELIANUS. Caute ergo adhibenda sunt id genus pharmaca praecipue plethoricis ; agnoscendum est vero sternutamenta suo stimulo in nervos ex paroxysmo aegrum expergefaceri posse.

21. AEGRO jam debilitato, laesso, ac stupido, postquam ad se redierit, medicamenta cardiaca et exhilarantia, quibus spiritus torpentes et vires fractae reficiantur, dare convenit ; qualia sunt omnes aquae aromaticae stillatitiae, aqua, scil. castorei, rutae, pulegii, &c. cum parva copia tincturae succini, et spirit. volat. foetid. seu, quod praestantius remedium est, tincturae castorei composit. Pharmacopoeiae Edinensis, atque alia hujusmodi, quibus uti perseveret donec spiritus et vires pristinas recuperaverit ; deinde hisce omissis, ad remedia supra memorata, pro variis morbi causis, pergat.

22. Si assultus statim intervallis redeant, corticem Peruv. tentare conveniet, vomitum suscitare hora antequam paroxysmus accedat, et eodem tempore aegrum ictui electrico subicere ; opium quoque



que exporrigendum omnium antispasmodicorum facile princeps; camphora etiam prodest in plerisque speciebus hujus morbi, et moschus, spiritus aether:, et oleum animale, summis laudibus apud multos celebrantur. Remedium quoque memorat nobilis VAN SWIETEN (*f*), ex cupro praeparatum, quod quibusdam Epilepticis profuisse testatur. Quam optanda esset praeparationis hujus remedii cognitio.

23. CAUSIS Epilepsiae jam recensitis, et curâ singulis propria proposita, nunc restat ut aliquid de remediis specificis dictis agamus; quorum enumeratio opus esset taedii plenum, et parvae utilitatis; nam ex supra dictis, ni fallor, patebit nullum posse esse remedium universale et specificum morbo a tam variis fontibus orto. Quare medici cordati erit tales ineptias aniculis et agyrtis relinquere, (quorum ars solummodo versatur in re aegri exhausti, non in morbis curandis); et remedia experientia comprobata, et rationi consentanea, tantum exhibere.

(*f*) Van Swieten Comment. in Boerh. Aphorif. tom. iii. p. 438.